



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus Tres spirituales

Arias, Francisco

Coloniae, 1615

16. Mortificationis ope omnes tentationes vinci, peccata futura impediri, & gratiam conseruari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48767)

Ise. 58.

uissimisque consolationibus creari, maximæque promissioni nobis Deo per Isaiam Prophetam iam factæ; cum diceret: *Si aueraris à batho pedem tuum, facere voluntatem tuam in die Sancto meo, & vocaueris sabbatum delicatum, & Sanctum Domini gloriosum, & glorificaueris eum, dum non facis uoluntates tuas, & non inuenitur uoluntas tua, & non quaris sermonem. Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui. Delectari in Domino, quid est aliud, quam mirabili consolatione perfundi? quid sustolli super altitudines terræ, quam pectore generoso, spirituque diuino donari, quo omnes res caducæ huius mundi, cum nihil sint, nihili pendantur; quid denique cibari hereditate Iacob Patriarchæ promissæ, quam animam omnibus gratiæ doni in pignus æternæ foelicitatis ornari, instrui.*

CAPVT XVI.

Mortificationis ope tentationes, omnesque animi hostes expugnari, peccata futura impediri, & gratiam semel acceptam conseruari.

Ad

AD superandum validissimum
 inimicum, præsentissimum re-
 medium est studiosè circum-
 spicere, qua in re summum eius robur
 positum sit, illudque cum primis illi,
 vt Philistæi fecere fortissimo Sampso-
 ni, adimere. Illi enim ex relatione Da-
 lila cognorant omne robur eius fuisse
 in crinibus, quibus resectis eum cœpe-
 runt. Capitalis noster inimicus est, caro
 nostra: nam caro, teste Apostolo, con-
 cipiscit contra spiritum. Hic inimicus om-
 nes vires suas habet in commodita-
 tibus & lauta tractatione, quoque co-
 piosius & crebrius illi ministratur
 cibus, potus, somnus, otia, aliæque re-
 creationes, hoc maiores vires & robur
 capit ad oppugnandum spiritum, & in
 omnia flagitia præcipitandum. Id Le-
 uita filij Israel confitentur, vt com-
 memorat diuina scriptura; nam lo-
 quentes in oratione cum Deo, dixe-
 runt. Tu Domine dedisti (maioribus no-
 stris) regna & populos gentium, & humum
 pinguem, & possederunt domos plenas cun-
 ctis bonis, vineas, oliueta, & ligna pomife-
 ra multa, & comederunt, & saturati sunt,
 & impinguati sunt, & abundauerunt de-
 liciis in bonitate tua magna. Præuocau-
 erunt autem te ad iracundiam, & recesserunt
 à te,

Iudic. 16.

Gal. 5.

2 Esdr. 6. 9.

à te,

à te, & proiecerunt legem tam post terga
 Hoc ergò robur carnis; remedium
 tem ad expugnādam eius rebellio-
 est moderari cibum potumque ab-
 nentia & ieiunio, lasciuiam & mo-
 tiem asperitate cilicij & disciplina
 primere, submittere eam, & ad labor-
 adigere: sic enim vigorem suum, & su-
 tulantiam facilè deleteret, vt bene

*Orat. 8. de
 temperantia.*

nuit beatus Basilius: Necessè est, inque-
 ens, totum corpus nostrum castigari
 ei que tanquam feræ belluæ frenum im-
 ijcere: si enim delitijs & blandimentis
 illud foueamus, instar equi ferocis,
 indomiti currum cum auriga euertere
 tis, animam nostram in cœnum flagi-
 tiorum præcipitem aget. Sin vero sub-
 tractione voluptatum & illecebrarum
 quæ sunt vitiorum quasi esca; & vo-
 luntaria susceptione pœnarum, quæ se-
 men sunt virtutum, affligamus, robur
 eius facilè languescet, & spiritus impe-
 rio rationis & voluntatis diuinæ nul-
 lo negotio illud subingabit. De eadem

*serm 29. in
 Cant.*

re sic loquitur beatus Bernardus. Carnis
 infirmitas robur spiritus augeat & submi-
 strat vires, ita è contrario noueris carnis
 fortitudinem debilitatem spiritus operari.
 Neq; id ita intelligendū, quasi naturalis
 carnis debilitas vim habeat vires suppe-
 ditandi

ditandi spiritui, passionibusque & pravis inclinationibus partis animi sentientis efficaciter medendi: fieri siquidem potest, vt in homine quantumuis macilento, & viribus destituito perturbationes iræ, aliæque huiusmodi remaneant vehementissimæ; sed quod beneficio moderatæ mortificationis, qua non nihil carnis intemperantia conteretur diuinæ gratiæ dona, peculiariaque à Deo auxilia, quibus caro debilitetur, & spiritus roboretur, obtineri soleant.

Vnde sequitur, per mortificationem quoque vinci demones, qui instrumento carnis nostræ ad oppugnandum spiritum ferè vtuntur. Qua de causa vnus è primis D. Francisci socijs Beatus A-

*In Chrō. ord.
Minor.*

gidius perfacete consuevit dicere, nullum carne nostra valentiorum militem merere dæmoni, itaque ea subacta in nihilum recidere omnes eius conatus. Eadem causa Sanctum Franciscum ad mortificationis studium impellebat. Nam, vt scribit Beat. Bonauentura, sui mortificandi causa, vel cineres, vel aliquam in cibos iactabat, vt saporem adimeret; inter dormiendum lapidem capiti, puluini loco, subijciebat; veste nulla, nisi aspera, vti volebat; & si mollior

In eius vita.

O

por-

porrecta fuisset, eam interius furore
exasperabat; eiusque rei duas causas tra-
debat. Vnam, quod illud placeret Chri-
sto. Alteram, quod asperitas plurimum
valeret ad vincendos daemones. Et
dicit certissima cum experientia di-
cisse, daemones voluptatum, & de-
ciarum illecebra primum homines
tate, ad mortificationem autem
horre & fugere. Vnde D. Augustinus
ad fratres in eremis. *Per ieiunium, inquit,
fratres mei, humiliatur caro, & diabolice
vincuntur virtutes.* Hoc coeleste docu-
tum suo ore quoque prodidit Christus

*Serm. 23.
Matth. 17.*

*Serm. 65. de
Temp.*

cum diceret: *Hoc genus demoniorum
eijcitur, nisi cum ieiunio & oratione.* In
verba Augustinus. *Vidit, inquit, quod
sit ieiuniorum virtus, ut id facere ieiunia
leant, quod Apostoli nequieverunt, nempe
sola inuocatione nominis Christi: sed
nim mortificationem ieiunij inuoca-
tioni iunxissent, efficaciorē orationem
reddidissent.*

Ex hac doctrina sequitur, nos per
mortificationem, non modò liberari
à peccatis præteritis, satisfaciendo
illis, ut dictum est, sed etiam à futuris,
quæ committere poteramus. Idcirco
nim homo in peccatum labitur, quia
cum ipse sit infirmus, demon verò for-
tis,

tis, facile eius tentationi succumbat: at
 per mortificationem dæmonis vires
 imminuuntur, & spiritus noster roboratur,
 ut tentationibus obsistere possit, à
 quibus alioquin erat in peccatum præ-
 cipitandus. Hoc expendens S. Bernard.
 Primum quidem, ait, fratres pro eo, quod ab
 ipsis quoque licitis abstinemus, ea nobis, quæ quadrages.
 prius commisimus illicita, condonantur. Quid
 verò est condonari commissa, nisi ieiunio bre-
 vi ieiunia redemi sempiterna? Gehennam e-
 nim meruimus, ubi nullus vnquam cibus est,
 consolatio nulla, terminus nullus, ubi guttam
 aque diues postulat, & accipere non meretur.
 Bonum ergo & salutare ieiunium, quo redi- *Luce 16*
 muntur æterna supplicia, dum remittuntur hoc
 modo peccata. Non solū aut abolitio est pec-
 catorū, sed exirpatio vitiorum: nō solum ob-
 tineat veniam, sed & promeretur gratiam: non
 solū delet peccata præterita, quæ cōmisimus,
 sed & repellit futura, quæ cōmittere potera-
 m. Hæc omnia Bernard. O immensam
 Dei misericordiam, o bonorum ineffa-
 bilium pelagus, hominem Christianum
 tam facile, abstinendo illecebris carnis,
 & propriæ voluntatis solatijs, pœnam
 exigam corpori infligendo, sensusque
 coercendo posse efficere, quod omnes
 Imperatores & monarchæ huius mundi,
 di, omnes, quantumuis potentissimi

exercitus, qui integras regiones armis suis subigere voluerunt, efficere nunquam potuerunt, hoc est, vt vel vnum dæmonem expugnarent, vel vno peccato quempiam liberarent. O admirabilis Christi in nos favor & humanitas, qui tam leui & facili remedio in suis electis operati voluit tam herosa facinora, vt Satanæ frangere potentiam & flagitiorum tyrannidem compescere. Quare meritò B. Leo Pontifex maximus inter Spiritus sancti maxima dona, quæ Deus suæ impertiuuit Ecclesie numerandum putat, quod ad carnis vitia, dæmonisque fraudes superandis nobis præsidium ieiunij, & mortificationis concesserit, cuius opera, Deo adiuuante, omnibus tentationibus resistere possimus.

*Serm. de
Pentec.*

Ex eadem doctrina id quoque efficitur, mortificationis bono à nobis etiam obtineri donum incomparabile virtutis perseuerantiæ. Neque enim vel gratia, vel caritate antè excidimus, quam tentatione graui in noxam lethalem nos prosterni sinamus. Cum ergò, vt dictum est, mortificationis virtute omnibus tentationibus superiores euademus, perspicuè sequitur in gratia semel accepta nos perdurare. Magnum profectò

secto solatium est, in hoc nostræ vitæ exilio, tot periculis & calamitatibus pleno, tam grande & efficax antidotum habere contra omnes lapsus; neque enim omnes serui Dei alia de causa ingemiscunt, & suspirant in hac vita, quam quia solliciti sunt, vt hoc perseverantia donum, quo vno coronam de manu summi Imperatoris sui, & iudicis tandem rapiant, à Deo consequantur. Omnes virtutes currunt ad brauium, *c. Trid. sess.* inquit quidam, sed sola perseverantia *6. can. 23.* coronatur.

Scimus, neminem posse de condigno, vel ex iustitia mereri hoc perseverantia donum, quia lege ordinaria homo manet in hac vita liber ad peccandum mortaliter, ac proinde in eo statu, quo gratia spoliari possit.

Quare magni beneficij loco ducere debemus, à Deo nobis relicta media, quibus illud obtineamus, saltem ex misericordia, vt orationem, mortificationem, & eleemosynam, quibus medijs, opitulante diuina gratia, hunc mirabilem perseverantia effectum impetrare possamus, vt fateatur Concilium *Sess 6. c. 13.* Tridentinum his verbis: *De perseverantia munere nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine palliatur; tamen si in Dei*

auxilio firmissimam spem collocare. & repone-
 nere omnes debent. Deus enim, nisi ipsi illius
 gratia defuerint, sicut cepit opus bonum, ita
 perficiet, operans velle & perficere. Et decla-
 rans quibus medijs obtineatur perseve-
 rantia, subiicit, nos debere operari salu-
 tem nostram in laboribus, in vigiliis, in ele-
 mosynis, in orationibus, in ieiuniis, & casti-
 tate. Deinde clarius exponens mortifi-
 cationis virtutem, adiungit. Scientes
 quod in spem gloriae, & nondum in gloria
 renati sunt, de pugna, quae superest cum car-
 ne, cum mundo, cum diabolo: in qua victo-
 res esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apo-
 stolo obtemperent, dicenti: Debitores sumus,
 non carni, ut secundum carnem viuamus: si
 enim secundum carnem vixeritis, moriemini:
 si autem spiritu facta carnis mortificati-
 neritis, viuetis. Hucusque Concilium.

Rom. 8.

CAPVT XVII.

Mortificationis exemplo multos adifi-
 cari, & ad bona opera com-
 moueri.

Greg. in pa-
 storali p. 2. c.
 3 & in prela-
 dialog. Bern.

NON dubium est, ut sancti Pa-
 tres confitentur, uti bona do-
 ctrina multi edificantur & mo-
 uentur ad vitam pie instituendam, sic
 bona.